

Rob. Bellarmino S.R.E. Cardinali. Romam.

Ill<sup>me</sup> et R<sup>me</sup> Dne.

Binos Ill<sup>mae</sup> D.V. libros, Apologiam pro Responsione sua ad librum magnum Britanniae regis, et tractatum de potestate Summi Pontificis in rebus temporalibus contra Barclaium, mittente Ioanne Paulo Gellio bibliopola romano, parens paullo ante mortem accepit, typis suis recudendos: nec ambigebat, Ill<sup>ma</sup> D.V. sciente, etsi forsitan haud iubente, Gellium misisse. Itaque hunc Ill<sup>mam</sup> D.V. operam praestare, in primis desiderabat. At Ser<sup>mi</sup> nostri principes (quorum  
citra facultatem nihil in Belgio excudi licet) haud permiserunt: ne vicinos scilicet principes, concesso pro libris quibus ii offendeantur privilegio, irritare viderentur; cum alioqui in Germania aut alibi excusos, minime in suis provinciis ducendi vetent. Hanc aequissimam sui excusationem perscribere parens subinde cogitabat, quandocumque occasionem novos aliquot typographiae suae fructus Ill. D.V. reponendi nactus esset. Quare defuncti parentis voto ego et frater Ioannes, simul cum mater vidua, merito libenter satisfacimus, obsequia nostra et cultum deferimus, et per Helmanum Cobbe mercatorem isthic Belgam qui has Ill<sup>mae</sup> D.V. litteras reddet, recentiores aliquot a proelis nostris libros mittimus. Quaesumus aequi bonique consulere, velut ab ipsius parentis manu, Ill<sup>ma</sup> D.V. dignetur; et quo illius amore solet, nos eius filios, Plantini nepotes, amplecti. Quibus modo typographiae Plantinianae publico rei christianae bono illustrandae, extremo patris morituri decreto, cura incumbit. Quam ut commodius sustinere possimus, ad R<sup>dum</sup> et Cl<sup>um</sup> Scipionem Cobellutium scribimus, pro eadem nobis a S<sup>mo</sup> Pontifice libros ecclesiasticos et Sacra Biblia cudendi facultatem quae avo Plantino et patri Moreto a Summis olim Pontificibus concessa est. Rogamus Ill<sup>mam</sup> D.V. rem hanc nostram suo commodo commendatam habere ne gravetur. Et Deo Opt. Max. supplicaturos nos adicimus ut quam diutissime eum maxime Ecclesiae catholicae bono D.V. incolumem servet. Antverpiae, in officina Plant., IX Kal. Julii 1611